



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Synodus Constantinopolitana In Causa Gregorii Antiocheni Episcopi  
celebrata anno Domini DXXCVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

SYNODVS  
CONSTANTINOPOLITANA  
IN CAUSA GREGORII ANTIOCHENI EPISCOPI  
celebrata anno Domini DXXXVII.

NOTA.

Qua occasione habita.

Gregorius absolvitur a calumnia accusatorum.

Ioannes Constantinopolitanus episcopus se vniuersalem nominat.

Acta Concilii ex parte reprobata.

[*Synodus Constantinopolitana.*] Hæc Synodus habita fuit ista occasione: Gregorius Antiochenus episcopus inuidia præfectorum & totius populi *accusabatur*, inquit Euagrius libro 6. cap. 7. *cum propria sorore alteri viro in matrimonium data rem habuisse: prosperumque ciuitatis statum non semel, sed sæpius labefactasse.* De quo crimine cum se purgasset, & ad Concilium prouocasset, profectus est Constantinopolim, vt ibidem se purgaret. Causa cognita, *post multas & graues contentiones*, inquit prædicto loco Euagrius, *secundum Gregorium sententia promulgata est.* Hæc est illa causa, cuius prætextu sanctus Gregorius multis in locis ait Ioannem Constantinopolitanum episcopum Synodum fecisse, in qua se vniuersalem episcopum appellaret. Verba sancti Gregorii libro 4. indi&. 13. epist. 36. ad Eulogium hæc sunt: *Ante annos octo sanctæ memoria Pelagii decessoris mei tempore frater & coepiscopus noster Ioannes in Constantinopolitana vrbe, ex causa alia occasionem quarens, Synodum fecit, in qua se vniuersalem appellare conatus est. Quod mox idem decessor meus vt agnouit, directis literis ex auctoritate sancti Petri apostoli, eiusdem Synodi acta cassauit: quarum videlicet epistolarum sanctitati vestra exemplaria studui destinare.* Sintne acta huius Synodi a Pelagio ex parte, vel omnino reprobata, idem sanctus Gregorius declarat his verbis: *Cognoscat fraternitas vestra Ioannem Constantinopolitanum in Synodo superbum ac pestiferum æcumenicon, hoc est, vniuersalis sibi vocabulum vsurpasse. Quod beate recordationis Pelagius decessor noster, &c.*

CONCILIVM ARVERNENSE.

ANNO CHRISTI 588.

DE PAROCHIIS CADVRCINIS REPETENTI  
episcopo Ruthenensi adiudicatis, sub annum Christi  
DXXXVIII. hoc est regum Guntramni XXVII. Childeberti XIII. Clotarii iunioris IV.

**S**YNODVS hæc apud urbem Aruernam celebrata est a Sulpitio metropolitano Bituricensi cum suis prouincialibus, in quorum numero censebantur Ruthenensis & Cadurcinus episcopi, cum reliquis Aquitanicæ primæ. *Quæ autem conuocandæ Synodi occasio,*